

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Resurrectio ac
cum fonte primo

Desinunt ista, non pereunt, et mors quam
pertimescimus ac recusamus intermittit
uitam, non eripit. Veniet iterum qui nos
in luce reponet dies.

Equo animo debet redditurus exire.
Obserua orbem rerum in se remeancium.

Estas abiit sed alter illam annus
adducit; hyemps cecidit, referant illam
sui menses; solem nox obruit, sed ipsam
statim dies abiget.

Seneca XXXVI. epistola.

Quod si tanta cupiditas te longioris aevi
tenet, cogita nihil eorum, quae ab oculis
abeunt et in rerum naturam, ex qua
prodierunt ac mox processura sunt,
reconduntur, consumi:

desinunt ista, non pereunt, et mors, quam
pertimescimus ac recusamus, intermittit
vitam, non eripit; veniet iterum qui nos
in lucem reponat dies,

quem multi recusarent nisi oblitos
reduceret. Sed postea diligentius docebo
omnia quae videntur perire mutari.

Aequo animo debet redditurus exire.

Obserua orbem rerum in se remeantium:
videbis nihil in hoc mundo extingui sed
vicibus descendere ac surgere.

Aestas abit, sed alter illam annus
adducet; hiemps cecidit, referent illam
sui menses; solem nox obruit, sed ipsam
statim dies abiget.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium
epistulae morales*, 36, 10-11 (L.
Reynolds ed., vol.1, p.100, ll.7-18).